



2. D. B. V.
DISSE^TATI^O MEDICA IN AVGVRALIS
DE

PHILT^RIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP^E AC DOMINO,
DOMINO

GVIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ &c.

Ex Decreto Illustri & Gratiissime FACVLTATIS MEDICÆ
in Florentissima Academia Jenensi,

PRÆSIDE

RVDOLFFO GVIELMO
CRAVSIO,

HEREDITARIO in Wellingen/
PHIL. ET MED. DOCTORE, PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE, ET ACAD. N. C.
COLLEGA,

Patrono, Præceptore ac Promotore suo
aternum devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA honores, Insignia & Privilegia DOCTORALIA, MORE MAIORVM, rite capessendi,
Publico Philiatrorum Examini submittit

SIMON PAVLVS HILSCHER, Altenb. Misn.

IN AUDITORIO MAIORI,
Horis ante- & pomeridianis consuetis,
A. D. Octobr. A. C. M DCC IV.

IENÆ, Typis CHRISTOPH. KREBSIL.

V I R I S

Illustribus, Magnificis, Nobilissimis, Excellentissimis, Consul-

tissimis, atque Amplissimis,

DN. IOHANNI GEORGIO
DOEHLERO,

Hæreditario in Windischleube & Rötha,
Regiminis Saxo-Altenburgensis Procancellario eminentissimo,
& Hagio-Synedrii Praefidi grauissimo,
ut &

DN. GEORGIO WOLFGANGO
WEDELIO,

Hæreditario in Schwarza/
Medicinae Doctori per orbem famigeratissimo, Comiti Palatino
Cæsareo splendidissimo, Consiliario & Archiatro Ducali Saxo-
nico, ac Theoretices Professori Publ. gravissimo,
nec non

DN. IOHANNI CHRISTOPHORO
SCHNETTERO,

Medicinae Doctori longe celeberrimo, Sereniss. Vida Saxo-Fri-
denstein. Personæ, & Aulæ Medico spectatissimo, ut & Praefectu-
ræ ac civitatis Ducal. Altenb. Ordinarii loco Physico
meritissimo,
denique

DN. CHRISTOPHORO POPPIGIO,

Jur. Utr. Doctori celeberrimo, Advocato Aulico ordinario specta-
tissimo, civitatis Altenburgensis Syndico dexterissimo,

Dominis, Patronis, Promotoribus, ac Fautoribus suis maximis,
obseruantissime colendis

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE

In devotissimi Animi περιπέτειαν, sive de meliori nota commendationem
submissæ offert.

SIMON PAVLVS HILSCHER.

* (3) *



I. N. I.

PRÆFAMEN.

Icet quidem *anima nostra nationalis* à Divino Numinе ad tantum evecta sit fastigium, ut *per se* à rebus corporeis nunquam laedi possit; attamen ob arctissimum illum nexum, quem cum corpore habet, sàpissimè enormes subit læsiones, licet indirectè tales sint, & *per accidens* saltim contingant. Cum enim ad edendas actiones suas organis ritè constitutis opus habeat; hinc iisdem minus bene se habentibus, subinde aberrationes, ac inordinatio-nes occurunt. E contra quoque dici vix potest, quanta animæ perturbationes, à causis moralibus or-tæ, corpori nostro incommoda afferant, dum per incongruum illius regimen sanguis & spiritus interdum in impetuoso, ac feroce motu citantur; interdum verò eorundem motus non parum supprimuntur, u-non aliter evenire queat, quin statim morbi subser-

A 2

quan-

* (4) *

quantur. Certum hinc est, quod animus sanus in corpore sano tantum bonum sit, quô nullum magis mortalibus in hac vita à divinâ Majestate concedi potest.

Non melius verò hactenus dicta probari ac illustrari posse nobis persuademus, quâm si eadem exemplo PHILTRORVM demonstrata demus , quippe quæ & animæ, & corporis actiones sâpenumero nimis enormiter lñdere solent. Hinc & moti sumus eorundem tractationem medicam, Consensu illustris Facultatis Medicæ, loco Speciminis Inauguralis exhibere. Quod, ut in Divinæ Majestatis gloriam, ac proximi salutem cedat, eandem supplices rogamus.

CAPVT I.

Philtrorum Definitione & Divisione.

Vm nomina sint rerum signacula, & non parum lucis ad indagandam ejusdam rei naturam sâpè affundant; ideo etiam vocis Philtri ovoquato-
λεγιαν paulò curatus evolvere lubet.

Etymologiam itaque hujus vocabuli philtri quod spectat, notum est, id originem suam non Latinis, sed Græcis debere. Dicitur enim Græcis τὸ Φίλτρον, λέπειν, amare. Quia appellatio ab effectu & fine, plerunque saltim intentato, non autem imperato, desumpta est.

Homo-

Homonyma occurunt apud Autores varia. *Plinius* effe-
ctum, intentioni propinantis sàpissimè non respondentem,
probè perpendens, id *amatorium virus*, à similitudine effe-
ctus nocivi, appellat. *Cicero* considerans philtorum tam
finem, quàm etiam formam externam plerumque receptam,
id insignire solet *amatorium poculum*. Quibusdam absolutè,
& sine addito Φάρμακον appellatur: sicuti patet ex sermone
Olympiae, uxoris *Philippi*, Regis Macedonum, quem habuit
ad puellam, cuius amore maritus ardebat. Persuasa enim
sibi *Olympia* maritum suum philtro in hunc amorem pertra-
ctum esse, adduci jubet puellam; adductam verò, cum &
formæ elegantiâ, & morum suauitate excellere videret, su-
spicione de philtro abjecta, exclamavit: χαῖτατις Δεξολαή:
οὐ γὰρ ἐν σπουδῇ Φάρμακα ἔχεις: Valeant, inquit, calumnias; tu
enim in te philtro habes. Germani nostri dicere solent ein
Liebes-Trank / it. Er oder Sie hat ihr oder ihm die
Liebe gegeben / oder zugebracht.

Quoad vocis Philtri *Synonymiam* invenimus apud Philo-
logos, quod etiam denotet *cavum illud in labro superiori sub*
naribus, quod Lactantius *lacunam* dixit. Germani id vocant
das Grublein unter der Nase. Sicque quasi amabile di-
citur; forsitan ideo, quod etiam hæc depresso bene formata
pulchritudinem faciei non parum juvare, amorisque excita-
mentum simul esse poscit.

Notabilis præterea occurrit acceptio vocabuli *Philtri* a-
pud *Hieron. Gordani*, lib. de eo, quod divinum est in mor-
bis c. 12., ubi per id intelligit tam amoris, quam odii pa-
randi adminicula. Plures vocis Philtri *Synonymias* vide
ap. *Basil. Fabrum in Thesaur. Erud. Schol. p. m. 717. Latius pau-
lò sumptum vocabulum philtri denotat omne illud, quod amo-
rem inducit quocunque modo. Quod sensu id habet illustris*

We-

Wedelius, Patronus, atque studiorum nostrorum promotor
æternum colendus, *Pathol. Medico-dogmat.* p. 277. Quam
acceptiōnem & nostrā facimus, cum per eandem uniuersum
philtrorum ambitum quām optimē explicari posse vi-
deamus.

Hinc PHILTRA in genere definimus, quod sint pharmaca,
amoris parandi causā adhibita. Generis loco in definitione
stat pharmacum, quod ipsis tam accuratē competit, ut vix
ullum aliud magis appositum vocabulum, quod eorundem
naturam & species melius explicet, & sub se comprehendat,
inveniri queat. Habet enim rō pharmacum, ut vocabulum
p̄co, significationem amplissimam, tam medicamentis,
quām beneficiis competentem. Quadrat hinc elegantissimē
quatuor philtrorum speciebus, nempe moralibus, naturalibus,
tam affectatis, quām non affectatis, it. praternaturalibus ac
magis, ut id tam ex dictis, quām etiam ē laudato sermo-
ne Olympiæ ad formosam illam puellam patet.

Differentiam specificam, quod attinet, ea hoc loco de-
sumta est à causā finali, quam conciliatio amoris constituit.
Licet verò pharmaca talia haud rarō, ex inferius dicendis ra-
tionibus, sine hoc suo frustrentur; sufficit tamen, quod ad-
fuerit intentio amoris conciliandi in propinante.

Quò verò eo feliciori pede in hac materiā pertractan-
dā nobis progredi liceat, necessarium judicamus divisionem
philtrorum addere, quæ, sicut indigitavimus, commodissimē
in quatuor classes reponi possunt, ita ut alia sint (1.) mora-
lia, alia (2.) naturalia, alia (3.) praternaturalia, alia verò
(4.) maleficia. Quam divisionem suggestit nobis prælauda-
tus *Wedelius Patholog. Medico-Dogmat.* scđ. 2.c. 7.p. 276. & 280.

Sunt autem moralia, sive, quæ animum potissimum re-
piciunt, nihil aliud, quām mutui amoris effectus, inter nono-
nūl.

* (7) *

nulla subjecta, ex similitudine morum nati. Clarum enim est, quod simile simili ordinariè gaudeat. Hinc fortis fortibus, tristes tristibus, hilares hilaribus, timidi vero & effeminati etiam talibus plerunque delectantur, & talium conversationem magnoperè amant. Parantur vero haecce philtrea conformitate morum symbolica, & ab inde dependentibus obsequi, amoris, & officii generibus. Unde & proverbia c.

nata: *Obscurum amicos parit.* Et: *ut ameris, amabilis es.* Naturalia corpus respiciunt, & pro fundamento habent tam formam ejus *externam*, quam etiam potissimum *internam*, similem nempe humorum ac spirituum constitutionem, texturam, ac morum. Cum autem facile patet, quod alia ex jam laudatis mediis, sibi amorem conciliandi connata, & à primo ortu quasi contracta, sique non affectata; alia vero arte parata, & sic affectata, esse queant; manifestum etiam sit, quod philtrea haec naturalia dentur, & statui debeat *duplicia*, nempe vel *non affectata*, & sic *connata* quasi, vel *affectata*, seu *arte parata*.

Ad priorem igitur philtorum horum naturalium classem spectat (1.) *Pulchritudo ac venustas corporis*, quando mirum tota machina egregie formata, ac insigni nitore pollet, lumina fulgentes spargunt radios, malæ ex albo suaviter rubent, ac labia pretiosissima purpura superbunt. Hoc philtorum genus superiori imprimis junctum certissimæ ut plurimum est operationis. Elucescit hoc non obscurè ex superius laudato exemplo puella illius, cuius amore Rex Philippus ob formam elegantiam, & morum suavitatem arsit. Ut quamplurima alia, tam in profanis, quam sacris literis occurrentia exempla, jam non laudemus.

(2.) *Ille amoris mutui simbolismus, qui se non solum inter parentes, & liberos, atque propinquos cognatos, sed etiam alios*

alios exerit. Profectò affectus hicce mutuus, quem parentes & liberos, atque propinquius cognatos intercedere diximus, maximè notabilis est, si perpendamus, quam constantissimus, ac vehementissimus utplurimum sit, cum tamen inter personas hasce sèpissimè non leves, sed arduæ admodum occurrant causæ dissidiorum, de ineundis, verbi gratia, matrimoniiis contra parentum voluntatem, ac partiendis parentum bonis relictis; Ast, cum sanguine juncti sint, componuntur iterum lites, parentes ad iram commoti placantur rursus, pensitantes, à filiis vel filiabus commissum esse. Paterni enim affectus difficultem extinctionem esse testatur Caroli M. exemplum, qui filia sua cum Eginhardo patrati familiaris facilem impertivit condonationem.

Quin imò affectus hic, afferente excellentissimo Wedelio!, c. se non solùm patefacit inter quotidianos amplexus, notitiam ac familiaritatem; sed etiam inter ignotos, qualia exempla hinc inde notata legas, quod vulgò non ineptè vocant, das Geblüt reget sich. Deinde etiam per experientiam constat, quod quidam naturali inclinatione magis ad hanc, vel illam personam ferantur, cuius tamen non accuratam anteà habuere notitiam, vel à quā sibi nunquam aliquod officii, aut amoris genus exhibitiū fuit, ita, ut ipsi sàpè effectus hujus rationem ignorent. E contrario verò observatum est quoque, quosdam se invicem vel prorsus odio prosequi, vel ad minimum conversationem horum, vel illorum tolerare non posse, à quibus tamen sibi nunquam aliiquid molestiarum creatum esse recordantur. Hinèque fateri coguntur, se nescire, cur hoc faciant. Unde & Poëta canit:

Livia non amo te, nec possum dicere quare,

Hoc saltē possum dicere, non amo te.

Allata igitur haec tenus qui accuratori mentis lance penitiat,

sitat, deprehendet omnino, effectus hosce non forte fortuna accidere, sed principio potius interno, nempe conformitati laudatae symbolica humorum ac spirituum, & inde dependenti animorum ac affectuum deberi.

Prolixiores paulò suimus in explicatione philtorum naturalium connatorum, sed non frustra, quia horum exactior cognitio apprimè est necessaria ad modum operandi philtorum *naturalium artificialium*, melius explicandum, ac illustrandum, quorum sequentem definitionem exhibemus.

Sunt nimurum *Pbiltra ac pharmaca tām externa, quam interna, parata ex ingredientibus merē naturalibus, modoque prorsus naturali, amorem unius personae singularis, erga personam aliam determinatam, inducentia.*

Post philtora hæc naturalia definienda veniunt *praternaturalia, que itidem sunt pharmaca, constantia quidem ex ingredientibus naturalibus, modo tamen praternaturali agentia, & sepissimè loco amoris, amorem insanum, maniam, melancholiā, aliosve gravissimos morbos, ac mortem ipsam interdum inferentia.*

Tandem *philtora magica, ut pessima, sunt pharmaca, mediis non absolutè naturalibus, sed superflitiosis, ac maleficiis, cooperante nimirum diabolo, vel explicitè, vel implicitè, amorem inducendi fine adhibita.*

Non opus censemus prolixæ haec tenus datarum definitionum explicationi immorari, cum non solum in se sint perspicuae, sed etiam ea, quæ ad generis explicationem faciunt, ex superiori dictis hoc repeti queant. *Differentiam specificam constituendo, respeximus ad materiam, modum, operandi, effectum & finem, quibus attentius paulò consideratis, non erit difficile perspicere, quā ratione à se invicem differant.*

B

Finem

* (10) *

Finem faciemus hujus capituli, si prius dixerimus, quod & philtra hæc varient ratione subjectorum, inter quæ adhibentur, licet cætera cum aliis habeant communia. Sic enim usurpari possunt inter mares & mares, mares & fæminas, fæminas & fæminas, homines & bruta, bruta & bruta, ut sic ubique mutuus amor licitus concilietur.

CAPVT II.

De

Philtrorum materia & effectibus.

 Isæ & pertractata philtrorum quidditate, ac divisione, ordo nos jubet ulterius procedere, eorundemque materiam & effectus, quantum quidem boni mores, ac tenues ingenii vires permittent, breuiter recentere, ac explicare.

Antequam autem hæc ipsa promissa nostra in actum deducamus, non possumus, quin unumquemque, pagellas hasce disputatorias legentem, amicè rogemus & admoneamus, vt omnia, quæ in hoc capite tractantur, cauto ac probo animo perlegere, nec sibi temere, aut illicite & sceleratè philtra propinare præsumat. Hoc enim si quis fecerit, facillime indeleibile conscientiæ suæ stigma inuret, dum proximum suum in maximum sanitatis & vitæ periculum præcipirat.

Incipiendum hinc nobis esset à philtulis moralibus, & naturalibus non affectatis, secundum datam divisionem. Ast, cum de horum natura, mediis, & effectibus in prædicto

dente capite satis tractatum fuerit; eadem hoc loco repe-
tere nolumus; sed nos potius ad demonstrandum mate-
riam & effectus philtrorum naturalium artificialium accin-
gimus.

Horum verò materiam constituunt quedam admodum
activa, spiritibus propinantis probè imbuta, quæ similem
humorum & spirituum motum, dispositionem, atque
temperiem, & hinc dependentem morum ac a-
nimorum similitudinem, hancque consequentem amorem
inducere apta nata sunt, tam ex regno animali, quam ve-
getabili petita, vid. *Sinibaldi Geneanthrop. l. 1. tr. 2. c. 12. p. 32.*
Opponere verò hic nobis aliquis posset, omnia hæc be-
nè se habere, dummodò sufficienter probatum sit, quod
talia simplicia dentur, que laudatum effectum edant. Hoc
ut probatum demus, opus erit effectus hosce experientiæ
& observationibus in arte medica clarissimorum virorum
corroborare, unde à dato & probato effectu melius ad cau-
sam materialem, & efficientem, effectum hunc præstantem,
argumentandum erit; deinceps verò materiam ipsam re-
censere, ac per rationes & obseruationes omnia, quantum
possibile, explicare, & demonstrare.

Quod itaque prius concernit, de eo afferre possemus
quam plurima classicorum Autorum testimonia, ac obser-
vationes, sed ex iis pauca saltim jam delibare lubet.
Insignis locus extat apud *Paracelsum Tr. 1. de morb. ament. c.*
s. Quod illi, ait, qui ederunt, aut biberunt aliquid à scorto
datum, in amorem alicujus rapiantur, & conjiciantur, causa
hec est, quod simplicia quedam existant, à nobis hic minimè
enumeranda, que istam in se vim habent, que si viri femi-
nis, vel he illis propinent, amor indissolubilis, & pertinax in-
ducitur. Subscribit jam dictis acutissimus *Helmontius*, libro

Jus Duumpiratus inscripto §. 54. p. m. 191. hisce verbis:
In simplicibus sunt, que inebriant, somnum, soporem, oblivio-
nem, stuporitatem, amentiam, furores, vesaniam, vel deliria
inducunt, quia in se continent: sive alia, quorum usū
in amores, iras, in modis erga certas tantum personas feruntur.
In Tr. verò de Magn. vuln. curat. §. 27. ad experimentum
provocat in catulo institutum.

Præter hoc Helmontii experimentum prostant ad huc
 alia, quin in modis recentiora. Sic notum est de *Jobanne Hart-*
manno, quod ipse passeri capto in cibo propinaverit particu-
 lam quandam de puluere quodam amorifico, unde factum,
 ut passeri eum nunquam deseruerit, sed in museo ipsi sem-
 per adstiterit, ac ægros visitantem eundem volando comi-
 tatus fuerit. Admodum quoque notabiles sunt duæ ob-
 servationes, quæ Lipsiæ contigere. Sic ibidem *D. Christi-*
anus Langius, olim *Prof. Lipsiensis* curavit juvenem, qui, cum
 à levioris notæ foemina pomum citrū dimidium, accep-
 ptum horā quartā pomeridianā, comedisset, quotidie post-
 ea sub idem tempus per horæ spatiū tanto desiderio, &
 anxiō penitus amore in eam foeminam tum absentem fla-
 gravit, ut hinc inde currere, & inquieto animo, & anxiè
 eam complectendi cupiditate prosequi coactus fuerit. Al-
 teram verò sequentibus verbis refert *C. Ettmull. Oper. suor.*
Tom. II. l. 2. membr. 4. Quidam studiosus in ædibus meis
 paternis à lotrice suâ in balneo intritum (*falte Schale*
Germanis dicitur) benignum, ast satis potens amorificum
 accepit, per cuius esum tantum amore erga eandem de-
 flagrabat, ut planè anxius redderetur, nisi quotidie eam
 visitaret. E quibus jam allatis, & hoc adducendis observa-
 tionibus satis manifestum esse arbitraur, quod philtrea hæc
 naturalia artificialia in determinata saltim agere possint
 sub-

subjecta. De effectu igitur philtrorum horum certi, materia eorundem curatus paulo scrutabimur. Patet vero per jam dicta, eandem largitam regnum *animale*, quam vegetabile.

Ex animali illa solùm ad operationem hanc præstans apta judicantur, quæ à proprio propinantis corpore desumta, & hinc alteri propinata sunt; inter quæ in primis sunt, *sanguis, sudor, saliva, semen atque lac*. Id quod de singulis jam adductis sic probare allaborabimus.

Quantas *sanguis* alterius propinatus, in inducendis similibus corpori nostro moribus, vires exerat, satis probat exemplum puellæ illius, cuius mentionem facit *Weintricus in Tract. de mensbris*, quæ sanguine felino potionata, naturam ac mores felis omnes assulit; & *Caligula* Imperator, qui ob suetas nutricis suæ, *barbaræ* ac crudelis, sanguine tinctas papillas, crudelissimus Tyrannus factus fuisse creditur.

Quem admodum igitur *sanguis* in his duobus recentis casibus mores & naturam subiecta sui, a quo desumuntur fuit, communicavit alteri, nempe in priori gæsus & actiones felis, in altero vero mores barbaros, ac actiones crudelis; ita etiam à propinato & commixto sanguine amor inductus legitur apud *Gockelium Conf. Et. obs. 60.* ubi mentionem facit malè feriata mulieris, à viro desertæ, Venerrisque cupiditatibus stimulata, qua tempore verno, dum nonnulli domestici phlebotomia utebantur, proprium sanguinem cum sanguine servi parentis sui commisicuit, atque excicavit, sicut cum vino seruo propinavit; quod haustus ille amore illicito captus hanc adulteram pro voto amplexus est.

Succinunt insuper huic thesi nostræ duo maximæ famæ

Medici, nimurum Beguinus in *Tyrcin. chim. l. 3. c. 1. p. m. 446.*
 & Daniel Bekkerus in *spagy. microsm. l. 1. c. 12. p. m. 90.* ubi
 simul modum philtrum ex eodem parandi docent, sancte-
 que perhibent, ac ad experientiam provocant, eodem ani-
 mos dissentientes uniri posse.

Denique reticere non possumus, quod quidam invenian-
 tur, qui hanc rem longè subtiliori modo, nempe mediante
 transplantatione peragi posse arbitrentur. Hujus opini-
 onis est *Tenzelius* in *Medicina sua diastatica.* Ibi enim
c. 10. n. 6. 13. prolixissimis verbis laudatum istum modum
 describit.

Hocce verò adhuc subtilior est, quem recenset in li-
 teris eruditissimus *Theodorus Moretus*, membrum Societi-
 tis Jesu, & ex his *Philippus Jacobus Sachs*, in *Gammaeolog.*
c. 9. p. m. 875. Scribit nempe ille, se novisse hominem, qui
 rosam fruticem sedulò suo sanguine, aliquoties per annum
 è vena educto, rigaverit, rosas magnati cuidam industrie
 porrexit, aut porrigi jussit, ut cum odore rosa transiret
 in principem affectus sympatheticus erga officialem; quod fa-
 cium effectu tam potenti, ut ipse Princeps miratus fuerit:
 itaque monitus de naturali tali effectu, rosas postea nullas
 accepit, nisi quas ipse decerpisset. Quorum quidem duorum
 posteriorum modorum fides sit penes ipsos Autores.

De sudore & salivâ id afferere, hosque humores in-
 ter materias dictorum philtorum referre, vel unicum hoc,
 notissimum tamen experimentum, persuadere posset.
 Quod, si cani, cuius amorem desideramus, panem, vel sub
 axillis gestatum, & sic sudore probè irrigatum, vel ore ma-
 sticatum, & sic salivâ sufficienter imbutum, præbeamus,
 eum deinde sedulum ac fidelem experiamur comitem ac
 defensorem; idem assertit *Sylvester Rattray de causa Sympa-*
thie

ebis & Antipath. p. m. 56. Nec etiam ratio abludit ulla, cum hi duo liquores sint valde, propter spiritus quos in se continent, (nam, nec in excrementitiis corporis humoribus spiritus deficiunt) activi atque fermentativi, in primis eodem tempore, quo quis alterius flagrat amore. Tunc enim, quod ex variis phænomenis elucescit, omnes corporis nostri humores fermentescunt, turgescunt ac spumescunt quasi, indicio manifesto, ipsis majorem activitatis characterem à vegetiori & fervidiori spirituum motu impressum esse, siveque alii subjecto communicatos, eundem melius, ac facilius continuare posse.

Illustrat dicta nostra egregie saliva canis rabidi, alio licet effectu. Per hujus enim communicationem natura quasi tota illius animalis in hominem transferri videtur, ita, ut latratum illius amuletur, linguam exerat, avidè vescatur, aquas, ac omnia potuenta timeat, & reliquas hujus bruti rabidi actiones satis claram exprimat.

Sicut verò recensitos haec tenus *tres liquores corporis nostri* partim alimentares, partim excrementitious, solius individui conservationi ac incolumentati dicatos, *philtrorum materiam* constitutre diximus: ita majori id jure de *semine*, tanquam liquore prolifico & animato, prædicare non dubitamus. Manifestissimum enim est, hoc à benignâ naturâ præceteris, ob finem suum, nempe speciei propagationem, spirituissimum, & sic corporis, cui communicatur, quam maximè alterativum factum suisse, unde etiam à Physiologis flos & quinta quasi essentia sanguinis ac seridicitur. Notissimæ quoque sunt singulares illius alterations, quas in foeminarum corporibus excitat, è quibus deinceps optima harmonia inter conjugum animos excitatur.

Con.

Consentientem se nobis præbet citatus Bekkerus l.l.
c. 11, quando de semine humano scribit: Parant ex eō mu-
miam magneticam, hominem, aut alia animalia, quibus talia
exhibentur, in amorem indissolubilem erga eum, ex quo medi-
cina desumpta est, rapientem. Minime verò approbat hunc
modum, eum pietas non permitrat liquorem hunc mascul-
lum, à natura suo legitimo consecratum fini, alii imper-
dere. Proinde hæc philtrei materia conjugibus secundum
naturæ leges impendenda, relinquitur.

Nihil etiam obstat, quod minus lac, utpote philtrum
quoddam mite, ac lentum, statuamus. Valet enim & hoc
non parum in introducendis subjecti sui, à quo provenit,
& natura, & moribus in aliud, ut id tam ex Historicorum,
quam Medicorum monumentis clarissime patet. Unicus
ex his nobis jam testis sit *Helmontius Tr. de infant. nutrit.*
p. m. 477; ita scribens: *Sic observavi nutricem salacem, fur-
tivam, avaram, iracundamque sian fragilitatem transtulisse
in pueros.*

Quin imò per experientiam constat, quod liberi, qui-
bus ipse matres in infantia mammas præbuere, erga ma-
tres postea longè majori, ac vehementiori affectu propensi
sint, præ ceteris liberis, quibus ipsæ mammas detracta-
vère.

Non ignoramus equidem, quod à quibusdam adhuc
multa alia ad horum philtorum classem referantur, nem-
pe secundina, alvi facies, capilli, unguēs, & ex animalibus
aliis petita quam plurima, quorum insignem catalogum
recentium vide in *B. D. Wolffii scrut. Amulet. Med. Sect. I.
c. 2. p. m. 373*. Sed, cum horum effectus partim per ex-
perientiam nondum sufficienter confirmati sint; partim
quamplurima eorum superstitione existant; ideo hæsta-
mus

mus ea dictæ philtorum classi accensere. Putamus quoque aphrodisiaca, seu medicamenta semen augmentia, & Venerem stimulantia, qua talia, & sibi relista materiam philtorum horum minimè largiri posse, quia philtorum naturalium effectus longè differt ab eo, quem aphrodisiaca, purè talia exhibit. Quemadmodum enim hæc non amorem genuinum, seu definitum, sed vagum saltim, & indefinitum coeundi desiderium excitant; ita contra philtora artificialia naturalia amorem gignunt erga certam saltim, & definitam personam. Interim tamen nullum etiam videmus obstaculum, quin asseramus, quod aphrodisiaca uno, & prioribus quatuor dictis humoribus, sufficienter imbuta, & legitimè præparata, amorem certo individuo inferre possint, cum præ aliis longè aptissima vehicula, & involucra, virtutem hanc recipientia, constituere videantur, confirmat hoc *Sylvester Rattray. l. cit.*

Perlustrata horum philtorum materiâ ex regno animali petita, inquirendum nunc, an & amplissimum regnum vegetabile quandam ad ea suppeditet. Id quod omnino verum deprehendimus, si accuratisimorum naturæ scrutatorum scripta evolvimus. Sic enim superius allegatus *Helmontius in Tr. de magn. vuln. curat. §. 27.* Novi, dicit, berbam, passim obviam, que, si teratur, & foveatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepecat, amore tui ille totus continuâ ardet ad aliquot dies. Ad experientiam provocat, addens: Detinui pedem cuiusdam catuli, hic confessim me peregrinum consecutus, adeò ut noctu ante cubiculum ejularet, quò eidem aperirem, renunciata herâ sua. Adsunt Bruxella mibi hujus facili testes. Eundem ferè in modum differit celeberr. *Ettmuller. Oper.*

Tom. 2. membr. 4. p. m. 977. scribens: *Sunt duæ planta ubique obvia, que si manu detineantur, quacunque ex illis sit, ut bene intepescant, (nam hæc est conditio, sine quâ non) & binc manus, abjectâ herba, porrigitur virgini, ita, ut & illius manus probè detineat ir, ut similiter incalescat, binc amor mutuus conciliatur certus, non ramen diu durans, sed tantum per 4. aut 5. dies.* Primam plantam *hyosciamum*, alteram *cocleariam*, vel *persicariam* putat fuisse. Laudatus *Wolffius*, dum *l. c.* de planta *Helmontii*, amorem inducente agit, notat, quod quidam herbam hanc *quinque nervum*, seu *plantaginem* esse arbitrentur; alii verò *persicariam*, *hyosciamum* aut *cicutam* esse suspicentur. Celeberrimus Altenburgensis Medicus *B. Gabriel Clanderus*, in eruditissimâ suâ de *Philtriis Dissertatione* plantâ *Helmontianæ* mentionem faciens, refert, quandam curiosum rerum naturalium indagatorem, amicum suum singularem, idem certò adfirmsasse de planta vili, & ubivis ferè obvia, idque fieri sine omni, aut magicorum, aut superstitionum additione. Quemadmodum verò recensita hæc planta, quæ laudatum effectum edunt, miratu non indignæ sunt: ita certè illæ, quæ pro diverso adhibendi modo, nunc amicitiam, nunc inimicitiam causantur, admirationem adhuc majorem mereantur. Plantam talem miratur laudatus *Wolffius l. c.* ex Orat. Joh. Sculteti de plantarum cultura. Hic enim herbae meminit cuiusdam, *Flabie dictæ*, in Insulæ Zethir monte *Arca-dio* reperiundæ, ex quâ plantâ incisâ dicitur liquor emanare, qui sanguinem reperficiat, & eō modo, si quispiam tempore affectus, contingat aliquem, occultâ quâdam ratione hic in illius amorem trahatur; ubi verò refrixerit succus iste, eoque quispiam contingatur, amoris refrigerationem, bene-

benevolentiaeque aversionem inducat; de quo non dubiam fidem allegat citatus Autor, quæ penes ipsum sit.

Tandem circa materiam philtorum horum artificium, & in primis internè propinandorum, monendum restat, quod partim in illius *preparatione*, partim in ejusdem *adhibitione* non paucæ observanda sint cautelæ, si effectum optatum consequi quis velit, ne loco desiderati amoris certæ personæ erga se, illi maniam, melancholiam, aut alium grauiorem morbum conciliet.

Post philtora hæc naturalia artificialia ex ordine contemplanda, ac expendenda veniunt *materia, & effectus philtorum praternaturalium*, quæ convenientiam quidem aliquam cum prioribus habent, quoad materiam, quod hæc æquè sit originis naturalis, ac illa; Differunt tamen à priori, selectu, ac exhibendi modo, à posteriori verò effectibus longissimè à se invicem distant.

Quemadmodum enim philtora superius recensita amorem conciliant, forte licet, interim tamen actiones reliquas non enormiter lædentem: ita contrà hæc eas sensibiliter, ac gravissimè lædunt, quin imò interdum penitus sufflaminant, ac destruunt, dum dirissimos ac desperatissimos sæpe morbos, & consequentem non raro mortem accerunt. Excitarunt enim sæpe in aliis vomitus, in aliis anxieties, sudores, lipothymias, tabem, & in primis deliria mania, & melancholica. Ita enim *Paracelsus Tract. I. de morb. ament. c. s.* scribit: *Scortæ sepius propinant aliiquid, ex quo sensuum, mentisque privatio multiplici ratione inducitur.* Legi de his meretur *Quercetan. Redivivus opera Schröderi editus, tom. 2. p. 164. Et seq.*

Quò igitur in penitiorem philtorum horum cognitio-

C 2 tio-

tionem, utpote ad eorundem curationem non parum facientem, altius admittamus, lubet *materias* eorundem, & exinde enatos *effectus* paulò specialius lustrare. Sic horum materiam partim constituere possunt nonnulla ex superioris dictis, quæ philtra naturalia aliàs fœnerantur, partim alia, ab illis prorsus diversa, ut sunt verbi gratia, fæces alvi, capilli, ungues, & alia ab Autoribus passim recensita.

Mirum circa jam dicta primo intuitu videri posset, quod materia philtrorum naturalium suo modo etiam constitutat materiam præternaturalium, & quod ab eadem diversissimi orientur in corpore nostro effectus. Verum ratio ista cessabit, si B. L. accuratius paulò secum pensitabit, quod *diversa preparatio & applicatio*, seu modus adhibendi, qui *subiectum, dosis, tempus ac formam externam* respicit, effectus pharmacorum admodum diversos, sicque vel utilles, vel inutilles edere valeat. Nullibi autem magis patet, quantum in legitimâ medicamentorum præparatione ac adhibitione situm sit, quam circa medicamenta heroica, generosa, atque activa, prout id mercurius dulcis, mercurius vitae, emetica item, & purgantia alia, ut & opiate evincunt, quippe quæ mortem, pro legitimo vel illegitimo usu, & accelerare, & fugare apta sunt, ita, ut vulgatum illud & hoc in primis valeat: Ubi virus, ibi virtus.

Nunc vero ex superioribus clarum, quorundam philtrorum materiam valde activam esse, & tam accuratam præparationem, quam applicationem circa ea observari debere.

Ait, si pensitamus, quinam sint illi homines, qui philtra ut plurimum propinant, notum est, quod sint sapissime lectoris nota persona, scorta nimis, vel amasii, illicitæ Venoris

(21)

neris stimulis agitati, vel etiam alii, qui requisitorum ad philtra propinanda necessariorum non sufficientem habent notitiam; dumque haec sunt destituti, noxas garant quam maximas. Ejusmodi pocula ad illiciendum amorem spectantia planè esse diabolica ait Queretar. loc. supra cit. ac nomine christiano indignos esse habendos, qui iis abutuntur.

Accedit & hoc, quod DEVS enormem talium hominum maliciam ac perversissimum finem, qui sepius turpis est scortatio probè sciens, ex justissimo suo judicio in aliorum terrorem, ac propinantium, & potionatorum posnam, permittat, ut personæ tales amasis suis loco amoris gravissimos morbos inferant.

Multum denique & hoc facit subjectorum, philtra, recipientium diversitas, ac constitutio materiæ, philtrum largientis, præternaturalis, sive morbosa. Hæc enim, si charactere quodam morbisico sigillata est, facillimè illum in aliud corpus transferre poterit, ut id morbi contagiosi, ac hereditarii, nec non transplantatio morborum ab hominibus in bruta, verbi gratia icteri per urinam in canem, manifestissimè demonstrant.

Longè verò facilius, ac cum majori vehementiâ dictæ hæ cause gravissimas suas lœsiones in potionati corpore exercere valent, si potionatus sciat, se philtrum quoddam, ex hac vel illâ materia, verbi gratia, sanguine menstruo consans, accepisse; hincque nauseam, & aversationem concipiatur, quam deinceps sequitur inordinatus spirituum & humorum motus, unde facile morbi propullulant. Elegans hanc in rem extat observatio apud Gockel, Confil. LX. ubi salax ac petulans ancilla sibi amorem servi fabri cujusdam

ferrarii, mediante sanguine menstruo, haleci indito, ac ser-
vo illi propinato, parare studuit. Ex quo ille aliqualiter
malè habuit. Sed cum nihilominus nullam erga se pro-
pensionem contestaretur, ipsi in opprobrium confessa est,
se ipsi aliquid de suo sanguine menstruo propinasse. Quod
audio per magnam exinde conceptam alterationem, o-
mnia susque deque in toto corpore agitata fuere, ac tam
graviter ægrotare, variisque symptomatibus affici cœpit, ut
malum lethale redditum fuerit.

Brevibus tandem recensenda adhuc, atque expen-
denda sunt materia & effectus philtorum magorum, seu
superstitiosorum, ut moniti eò facilius à talibus nobis cavere
valeamus.

Repetendum verò hic è superioribus, quod omnia
hæcce philtrea peragantur mediante pacto quoddam cum
Diabolo, sive illud sit explicitum, sive implicitum. Hinc
illorum materia, vel quasi talis, consistit partim in solis ver-
bis, signis, characteribus, cantionibus, ceremoniis, imagi-
nibus, & aliis, quorum quædam recirant, quædam vero co-
rollis, annulis, armillis, amuletis, aliisve inscribunt.

De horum veneficiorum generibus in Autoribus pas-
sim variis ac admodum notabilis occurunt casus, inter
quos eminent Xenophon, Virgilii, atque Ovidii. Sic enim
Xenophon, l. 2. memorab. p. m. 750. scribit: ἐναὶ μὲν τίναις φόδον
ἐπωδέσι, ἀς οἱ Ὀτιστιμενοι ἐπάδοντες δις αἱ βελώνει, φίλες εἰν-
τοῖς ποιῶνται. ἐναὶ δὲ οὐδὲ φίλτεροι, οἱ δὲ Ὀτιστιμενοι ποιῶν δὲ αἱ
βελώνεις χειρίμενοι, φιλέντες αὐτῶν. Feruntur quædam
carmina esse, quæ qui sciunt, canentes, quos volunt amicos
sibi possunt facere. Esse verò & philtrea, quorum periti ad
quoscunque tandem eis utantur, ab illis diliguntur.

Apud

* (23) *

Apud *Virgilium Ecloga VIII.* Pharmaceutica dicta, sequentia inter alia notatu digniora leguntur:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquefcit
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.

Et :

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Da-
phnium.

Generis Elegiaci verò Princeps, Ovidius, sequentem in
modumcanit :

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur agit acus.

Sicut autem recensita hæc veneficiorum genera mani-
festissima sunt, ac facillimè cognosci possunt ea ejusmodi
farinæ esse: Ita Diabolus, tanquam milleartifex, ut paulò
prudentiores eò facilius in suas partes pertrahere valeat, ali-
um excoxitavit modum, dum nimirum misellis ac credulis
hominibus persuadet, quod hæc vel illa simplicia hæc vir-
tute polleant, si modò verba quædam in eorum administra-
tione simul addantur, vel rebus his characteres quidam in-
scribantur, quò pacto interdum plurimos seducit.

Tandem & nonnullos adeò occēcavit, & à Divini
Numinis cultu prorsus abduxit Diabolus, ut (quod hor-
rendum dictu, ac lacrymis deplorandum,) signa immensa
gratiæ divinæ, sanctissima Sacra menta puta, huic fini im-
pendant, & nec sacris hostiis, nec baptismo, & rebus bapti-
zatis parcant. Prolixissimum catalogum philtorum talium
magicorum inprimis, ut & præternaturalium recenset
Hieron. Jordanus libr. de eo, quod divinum est in morbis. c. 44.
p. m. 160. Licer paulò confundat materiam philtorum na-
turalium cum hæc ipsâ.

Qui

Qui verò præter jam allegatos philtorum tam magi-
corum, quam præternaturalium maximè notabiles ac stu-
pendos effectus perspicere cupit, adeat inter alios Wierum
l. 3. c. 39. de Prestigio Daemonum. Schenck. in append. l. 7. p. m.
839. & l. 2. obs. 1. p. m. 214. Sennert. l. 1. Prax. c. 10. Henr. ab
Heer. obs. 13. Borell. Cent. 1. obs. 65. Salmuth. cent. 1. obs. 70.
Ettmullerum l. c. Ruland. cent. 3. curat. Empir. Curat. 91.

Hinc non dubitamus deplorandum horum philtro-
rum effectum unumquemque ab incautâ talium propina-
tione detergere valere.

CAPVT III.

Philtorum Operandi ratione.

Gum hodierno seculo experientia rationibus destituta
plerumque exosa sit, & empyria vocari soleat. Hinc
consultum quoque duximus philtorum operandi
modum breviter, & quantum per tenues vires licet, inve-
stigare.

Cadent autem sub considerationem hanc potissimum,
philtora *naturalia artificia*, *prænaturalia*, ac suo modo
etiam *magica*. Quod enim attinet philtora *moralia*, ac *na-*
turalia connata, eorundem doctrina in illustrationem ho-
rum è superioribus huc trahi poterit. Antequam autem
mentem nostram de modo operandi philtorum *artificiali-*
um naturalium explicemus, non possumus non, quin mone-
amus, *Sennerto*, & multis aliis effectus philtorum lauda-
tos, quod nempe amorem ergo *definitam personam* exci-
tare

tare possint, admodum dubios videri; Cum hominum animi minus cogi queant, quò minus liberà voluntate eligant, quod ament.

Quemadmodum verò ipsis ambabus largimur manibus, quod philtra animum non æquè cogant; ita & nihil impedimenti videmus, quin cum prælaudato Wedelio l.c. statuamus, quod philtra animum illiciant, & flectant corporeis illis irretitum vinculis. Cum enim, ait: ex humorum & spirituum dispositione varient idea, inde voluntas quidem non potest cogi, sed flecti tamen, uti notum est; ex hoc diverso statu spirituum & humorum omnino etiam phantasmatum, impressiones, & ideas diversas, congruas illorum statui observari. Postquam verò laudatus Sennertus tale quid interdum contingere non prorsus negare valet, putat id ipsum fieri potius ob conversationem cum illâ persona, quæ philtrum exhibuit, quam ob ipsum philtrum; vel etiam ob œstrum libidinis, ab aphrodisiacis excitatum, quando nimis personæ, œstro Venereo percitæ, vel amasius, vel amasia se oggerant, & offerant, & artibus amatoriis in amorem pertrahere conentur. Verùm enim verò cadit prior modus sua sponte. Si enim conversatio sola sufficiens semper esset amorem sibi conciliandi, quid quæsto mortalia pectora coëgisset philtra excogitare, tantoque cum periculo propinare? Alterum verò non firmiori gaudere fundamento quivis cognoscet, qui modò inter amorem definitum, ac genuinum, & coëundi, seu Veneris desiderium, prout par est, distingue novit.

Sicut autem per jam dicta patet, quod hæ laudatae hypotheses ad operationem philtrorum artificialium naturallium explicandam minus accommodæ sint, aut ad minimum

mum non sufficient; Ita hanc rem naturalium rerum sagacissimum Helmontium melius tetigisse nobis persuasum habemus, quando Tr. de magn. vuln. curat. §. 27. philtrea hæc ob mumialem agere confectionationem putat, ita scribens: *De philtreis dicerem, que mumialem confectionationem requirunt, ut ad certum objectum trabatur dilectio.* Intelligit verò per virtutem hanc mumialem nihil aliud, quam spiritum insitum, & confectionatum, ut id §. 3. ejusdem Tr. docet.

Hypothesin hanc Helmontianam approbat quoque noster Wedelius in *Patholog. Medica Dogm.* p. 279. eamque elegantissimè ac uberior explicat, dum docet, quod per mumialem hanc confectionationem innuat *convenientia & immutatio spirituum symbolica, quadrans eidem regio, seu idiosyncrasia, qua est agentis, à quo desumpta est materia.*

Ut igitur mumialis hæc confectionatio peragi queat, requiritur *medium* quoddam connexionis, seu *tradux*, qui spiritibus propinantis imprægnatus, eosdem cum altero subiecto communicit. *Traduces* verò hi, ratione originis suæ, per superius dicta, *duplices* existunt, prout nimurum desumuntur vel *immediatè ex corpore propinantis*, & sic ex *regno animali*, vel etiam *mediatè ex regno vegetabili*, dum certæ quædam plantæ, corpori admotæ, & sic huic fini sufficenter adaptatae, in usum vocantur. Curiosius hinc inquirendum, quâ nam ratione & modò philtrea ex propinantis corpore *immediatè* desumpta, & secundo *mediatè* ex eo hausta, ope quarundam certarum plantarum, hunc effectum edere valeant: si prius præmiserimus modum agenti eorum in genere, qui nobis talis videtur. Constat nimurum ex dictis, quod materia hæc philtrorum, *spiritibus pro-*

propinantis probè imbuta esse debeat, & sic admodum activa sit. Hæc igitur corpori alterius applicata, agit in humores & spiritus, iisdemque per communicationem spirituum subjecti illius, è quo provenit, similem motum ac temperiem inducit, quibus gavisa est in propinantis corpore. A motu verò humorum & spirituum dependent omnino phantasmatæ, impressiones, ideæ atque affectus. Manifestò id deprehendere licet in perlustratione tempermentorum, in quibus pro diverso humorum & spirituum statu diversi quoque mores, diversissimæque actiones consurgunt: comparatione v. gr. instituta inter melancholicum & cholericum, phlegmaticum item & sanguineum.

Ut jam nihil dicamus de liquoribus spirituosis, cerevisia, v. g. ac vino, quippe qui largiori paulò quantitate, hausti, non solum humores ac spiritus corporis nostri misericè augent, sed & eorundem motum longè vegetiorem ac citatiorem præstant, unde deinde quoque actiones & mores corporis nostri à pristinis valdè recedunt, dum è timidis fiunt fortes & audaces, è tristibus, hilares, è pacificis & humanis, rixosi ac contentiosi. Hinc etiam hòc loco fieri potest, ut ab inducto simili tali humorum ac spirituum motu temperieve; similes quoque mores & inclinations proveniant. Hæc talia verò, tanquam immediata amoris causa, efficiunt amorem mutuum & intimorem amicitiam.

Omnibus his dictis nostris consensum præbet illustris Wedelius, l. c. eleganter scribens: *Philitra agunt in humores, humores in spiritus, spiritus dispensant affectus.*

Illustrant & probant ulterius modum hunc operandi egregiè, quæ in cap. i. de philitris moralibus & naturalibus

connatis, de fervidiore v. gr. amore mutuo inter parentes & liberos, cognatos, atque alios, adducta sunt. Ut & ea, quæ in cap. II. de transplantatione morum bestiarum in homines, morborum ab hominibus in bruta, de morbis item hereditariis, ac aliis recensita sunt. Faciunt quoque huc, & rem illustrant quoque suo modo sympathiæ mirificæ circa res naturales hinc inde observatae, quas vero in praesenti silentii peplo involvere jubemur, ne disputatio haec legentium manibus ob ampliorem molem molesta fiat.

Secundum itaque datum nostrum promissum explicandum nunc esset modus agendi philtorum ex propinantis corpore desumtorum in specie; Sed cum hic ferè accuratissimè cum modo jam dicto coincidat, & ex dictis abunde pateat, non est, ut plura de eo dicendo, lectori nauseam moveamus.

Paucis potius cogitationes nostras communicabimus, quas de operandi ratione plantarum amorifcarum, utpote difficultiori ac subtiliori, habemus; eo vero tendunt: Dum nimirum unâ ex genuinis illis plantis amorifcic manus teritur, eaque foveatur, redduntur per tritum hunc, & inde consurgentem calorem pori patuli; Unde calor terentis nativus, & spiritus, calefactaque planta agunt in se invicem, haecque ob principium suum sulphureo salinum specificum, & sui generis, quod procul dubio possidebit, calorem nativum & spiritus egregie excitat, & in motum seu operatus ciet, sicque ad exitum quam optimè disponit. Hinc per applicationem terentis ad alterius manum excitatur quoque calor, & pori patentes fiunt in utraque manu: quô facto spiritus ex manu illius, per herbam egregie excitati, & procul dubio specifico charactere sigillati, per alte-

alterius manus poros in' ejus spiritus transeunt, eandemque postea operationem exercent, sicut reliqua philtrea. Cum verò hoc modo spiritus saltim afficiantur, & motus hic ac temperies non intimius ipsis humoribus imprimitur, inde fit, ut amor hic non admodum diu, sed saltim per aliquot dies duret, quia millia apta nata sunt motum hunc impressum iterum variare, atque efficere, ut rursus evanescat.

Tandem circa modum agendi philtrorum artificialium naturalium ventilanda hæc nobis videtur quæstio; An ex causis naturalibus, & qua ratione fieri possit, ut amor per philtrum inductus eadem horâ, quâ propinatum fuit, paroxysmet quasi, exacerbetur, & incrementa capiat. Id quod utique hunc in modum contingere posse putamus, quatenus nimirum memoria fortem illam alterationem, inclinationem ac affectum recolit eodem in primis tempore, quô motus illos primò sensit. Hæc enim ratione voluntas, à memoria valde agitata atque commota, eodem tempore ad talia iterum fertur, qualia tunc affectavit. Non aliter ac videmus sæpe viduas, quibus mariti per mortem abrepti fuere, longè sæpe ab eorundem morte, illo in primis tempore tristari ac in lacrymas citari, quô maritus expiravit, vel eò etiam, quo antea præ reliquo suavissima ejus conversatione usæ fuere. Licet non planè negatum velimus, quod etiam interdum effectus tales causis magicis describi queant. Quemadmodum vero nobis nullum est dubium, quin quidam futuri sint, quibus philtris his attributus effectus, ac operandi modus dubius erit, & minus complacebit: ita illi, qui ipsis laudatum effectum denegant, contra experientiam loquuntur, ab illis verò, quibus dicta

operandi ratio displiceret, meliorem explicationem expectamus. Interim utrisque commendamus locum elegantissimum ex Helmontio, qui *Tr. de magn. vuln. cur. p. m.* 457. §. 9. extat: *Multa, inquit autor, certè ubique conditoris bonitas fuit, qui omnia creata in ingratum hominum usum condidit: nec mortalium quenquam ad sefforem admisit, quod quantasque rebus virtutes inderet. Nescio sanè interim, quomodo à superbia peccato excusari possit, qui, quia non percipit rationem naturalem, tanquam universa Dei opera suo metiens acumine; idcirco audacter negat Deum ejusmodi rebus virtutem dedisse; quasi homo vermis, Dei & consilii ejus compos esset: omnium animos ex suo estimat, qui putat fieri non posse, quod intelligere non potest.*

Pbilterorum præternaturalium agendi modus dum enucleandus venit, notandum est circa eum, quod horum materiae, per jam dicta, partim corpori nostro valde adversæ, partim vero incongruo modo, quoad dosin & præparationem nimirum, adhibitæ, facillimè corpori nostro insignes noxas inferre queant, dum nimirum temperiem, miscelam & motum humorum ac spirituum variè lœdunt, eosdemve in turbulentos ac impetuoso motus citant, sive placidum & blandum eorundem circulum simul perversunt; cuius deinceps turbationem pro diverso laesionis gradu, & subjectorum recipientium, ac aliarum circumstantiarum diversitate, varii supra laudati morbi sequuntur.

Denique circa rationem operandi pbilterorum magico-rum attendendum venit, quod, licet adhibendi modus ab eo, qui circa philtrea artificialia naturalia, & præternaturalia observatur, discrepet, operandi tamen ratio, quoad causam

fam proximam, cum utrisque his plane coincidat; Diabolus enim ad opera sua edenda æque causis proximis naturalibus opus habet, ac homines. Id quod inde patet, quia morbi per veneficium induiti per remedia naturalia, tanquam causam præternaturalem seu morbificam tollentia, iterum tolli possunt.

CAPVT IV.

De

Signis.

Non est, ut pluribus de signis diagnostica philtrorum moralium ac naturalium connatorum solliciti simus, cum per se, & superius dicta, satis manifesta sint. De philtris verò naturalibus artificialibus hoc saltim dicimus, quod de propinazione talis philtri tunc conjecturandum sit, cum videmus quandam personam ab exhibitione vel potus, vel esculentí, vel etiam dicto usu plantæ cujusdam subito alterius ardenterissimo amore flagrare incipere, ejusque perpetuo desiderio ferri, quam tamen antea sàpè numero ne quidem ferre potuit, vel minimum non amore ac favore prosecuta est.

Majorem verò ut utilitatem, sic etiam paulò majorem difficultatem pariunt signa diagnostica philtrorum præternaturalium, cum iis signa sàpè quædam communia sint cum amore insano, mania aut melancholia erotica, simpliciter talibus, & citra philtrum ortis.

Non melior verò de signis hisce conceptus formari poterit, quam si totam corundem seriem recenseamus, sic enim

enim quām optimē patēbunt, & ab aliis similibus morbis
facillimē distingui poterunt. *subito ac utq[ue] h[ab]itum est*
aliquip Præbet itaque maximum argumentum exhibitionis
philtri, si post propinatōnem vel esculentorū, vel potu-
lentorū, alias hacce quantitate assūptorū, nullas no-
xas edentium, à persona in primis suspecta factam, potio-
natus se statim, vel paulo post malè habet, & in primis de
pe ssimo st̄omachi habitu ac anxietatibus præcordialibus
queritur, insimulque sāpē frequentissimo & incompre-
ibili erga certam personam desiderio flagrat, ut continuos
de illa sermones necat, nec ejus absentiam ullo modo to-
lerare posit, quin sibi summæ anxietates atque lipothy-
mia, viriumque dejectiones accidant, vel etiam mania aut
melancholia postliminiò prorumpant. Præterea etiam ho-
mines philtris potionati sunt instabiles, modò hilares, modò
tristes, prout amor in hæc, modò in alia illos rapit, & quando
amata personæ fit mentio, tunc in vultu, gestibus aut pulsu
manifesta deprehenditur mutatio. Posteriora vero hæc
laudata signa applicari etiam suo modo possunt ad *philtra*
naturalia connata, seu *non affectata*, & *naturalia artificia-*
lia, seu *affectata*.

Licet autem recensita hæc signa se non in omnibus
subjectis visenda offerant, cum symptomata, ratione ma-
teriæ philtrum largientis, subjectorum ac aliarum circum-
stantiarum, differant; sufficit tamen ferè, ad sententiam
de propinato philtro ferendam, si aliquid propinatum fu-
erit à personâ, qua potionatam personam adamavit, mi-
nimè autem efficere potuit, ut illa se redamasset, hincque
ab exhibitione vel cibi, vel potus, aliquis dictorum effe-
ctuum contingat, licet non semper amor insanus, vel so-
lus,

(33)

Ius, vel cōjunctus simul adsit; observatum enim est,
quod sāpisimē loco hujus, alii grauiores morbi sequantur.

Tandem & signa philtorū *magicorum* apponere ne-
cessarium erit. Quemadmodum verò in genere *συχασμων*
medico quām maximē opus est circa dignoscendos mor-
bos ab incantatione, ne nimirum grauiores illos, à causis
præter naturalibus tales, agnoscamus pro illis, qui à causis
supranaturalibus proveniunt, & vice versa: ita majori fe-
rè, atque subactiori judicio opus est circa enunciationem
philtorū *magicorum*, ne ingenii hebetudinem acigno-
rantiam prodamus, proximumque nostrum innocentem.
criminis magiæ statim accusémus, dum philtora ejusmodi
causis magicis debita statuimus; quæ tamen vel causis
moralibus, naturalibus, ac præternaturalibus, vel his varie
cōjunctis, & simul concurrentibus, adscribenda sunt.

Congruum hinc erit *signa generalia*, quæ ad dignotio-
nem morborum ab incantatione faciunt, hic breviter pro-
ponere, quæ deinceps à quovis prudenti Medico probè &
accuratè perpendi, atque ad philtora etiam commodè ap-
plicari possunt. Suggerit verò eadem nobis Magnificus
Dn. Preses, Patronus atque Promotor noster quovis tempore
piè de venerandus, in eruditissima *Dissertatione de Incantatis*,
è quibus pro nostri instituti ratione pauciora saltim, &
graviora nobis visa, hic laudare fas erit, ibidem latius vi-
fenda.

Arguere hinc poterit philtrum magicum propinatum
esse prudens medicus, si viderit. (1.) nullam, perpensis
licet omnibus, adesse causam manifestam, neque externam,
neque internam, per quam ejusmodi morbus potuisset con-
trahi. (2.) Si cognoverit nullum, tūm ex parte ægrotan-
tis, tūm aliarum circumstantiarum commissum fuisse erro-

rem in iis, quæ ad sex res non naturales spectant. (3.) *Si affectu tali laborantis amorem, persona ob beneficia magis vel minus suspecta intenderit, nec acquisiverit, hincque ipsi aliquid comedendum, aut bibendum præbuerit, aut illi aliud quippiam, vel mediatè, vel immediatè exhibuerit.* (4.) *Si specifica contra incantationes exhibuerit medicus, eademque profuisse senserit.* (5.) *Si symptomata occur- runt inusitata, & ἀνωνγή κατάτο, aut ex aliis locis varia, quæ in corpore humano generari nunquam possunt, ejiciun- tur, atque prorumpunt.*

Recensenda ac expendenda adhuc restant *signa pro- gnostiaca*, qua nimirum statum futurum, quoad *salutem & mortem*, tempus item *durationis*, quoad *longitudinem ac bre- vitatem*, patefaciunt.

Quod itaque prius, nempe *morbi eventum* spectat, me- ritò affirmandum est, quod morbi à philtris talibus orti haud levè secum gerant periculum, & interdum planè mortem accersant; in primis si diu in corpore sine medi- camentorum adhibitione morati fuerint; Interim tamen minimè absolutè lethales pronunciandi sunt, cum experien- tia testetur, quamplurimos philtris ejusmodi correptos ad- hibitā tempestivā medicamentorum convenientium appli- catione à peritis medicis curatos fuisse. Quoad posterius verò, nempe *tempus durationis*, reticendum minimè puta- mus, quod morbi hi plerumque diuturni, ac difficulter sa- nabiles sint, si scil. per longum tempus in corpore egerint radices, & hinc universos ejusdem humores inquinaverint, & aut nulla iisdem, aut tamen non genuina adhibita fue- rit curatio.

Qua propter cautus medicus in tali casu curationem aggresurus prognostico se munire debet, sibique longius pau-

* (35) *

paulò temporis spatium ad curationem expediendam pos-
tulare, ne famam suam perdat, si affectus hic non statim
ex ægotantis, & amicorum voto tollatur.

Sin vero morbis hisce initio statim convenientibus &
generosis præsidii obviam eatur, antequam nimirum ma-
teria morbifica vel primas vias egrediatur, vel firmorem
in massa sanguinea figat pedem, tunc unico, vel repetito
etiam emetico, huicque subiuncto generoso sudorifero to-
tus morbus sæpe tolli poterit. Ut hæc pasto curatorum
aliquot apud Practicos prostant exempla.

CAPVT V.

De

Methodo medendi.

COgnitis atque perspectis philtorum differentiis,
causis ac signis, ordinis ac instituti ratio jubet, vt
etiam eorundem CVRATIONEM addamus.

Commodissimè hoc fieri potest, si, prout par est, se-
cundum genuinam medendi methodum *indicationes* erua-
mus, easque tribus *lemmatibus* includamus, ac unicuique
indicationi debita indicata, seu præsidia medica assignemus.

Quod autem medicus eò feliciori cum successu curatio-
nem instituere queat, opus erit, ut examen clinicum, sicut
in omnibus, ita in hisce potissimum morbis, maximè ne-
cessarium, probè, ac secundum leges artis instituat, quod
omnibus hinc æstimatis circumstantiis, & perpensis mini-
mis conjecturis, invenire queat *causam materialem*, quæ
adhibita, vel usurpata fuit in philtro: utque cognoscat, an
philtorum solum præternaturale, aut *magicum simul* fuerit

E 2

Non

Non parum enim hiorum accurata cognitio ad curandum morbum conferet, desumenda ex laudatis, in praecedente capite, signis, qua hinc probè perpendi, atque debite inter se conferri, ac applicari debent.

Quemadmodum verò omnia bona à Divino Numine provéniant, & ab eo nobis exoranda sunt: Ita etiam in difficultimis hisce casibus merito opem ejus supplices implorare debemus, quò divinâ suâ benedictione curationi clementissimè adeste velit.

Monitis hinc generalioribus hisce, ad curationem necessariis, sequentia ponimus *lemmata*, methodum mendendi exhibentia.

I. *Causa materialis forens turbativa, ac inordinatae pariens*, quò citius, eo melius, tūm è primis viis, tūm ipsā masā sanguinac eliminanda, ac ejicienda est.

Liberant hinc, & expeditunt primas vias præ omnibus aliis (1) *Vomitoria*. Hæc enim in tempore adhibita hominem hunc peregrinum non solum ex ventriculo inprimis, sed & secundariò ex adjacentibus visceribus exturbant, an-
tequam ulterius progredi, & noxas majores inferre queat. Consultum igitur est statim à suspicione philtri propinare medicamentum quoddam emeticum v. gr. *rum emet. xium vite, v. bened. Rul. rad. asar. Infusum vitri 5ii, Th 5ii, & alia.* Laudatur quoque ut specificum vomitorium in philtris oleum sambuci ex arillis à 3j ad 3ib. Inprimis verò insigniter commendatur à Caffaro Keglero emeticum illud, aurum vite dictum, quod ex 5io & auro paratur; cuius præparationem vide in ejusdem *Tr. de Peste*, & apud Sennentum, in *Institut. Medicin. libr. 5. part. 3. sect. 3. c. 18. p. m. 1276.* de quo ait, quod non solum in aliis contra philtra plus simplici vice, sed etiam in se ipso tribus vicibus, optato cum eventu adhibuerit.

DC

(37)

De emetico verò P. J. Fabri, quod ex O. D.  §ii & §io præparat, elegantissimam recenset observationem præ-
laudatus B. D. Clauderius in allegata eruditissimā disserta-
tione de Philtro; ubi de D. Langio refert, quod hic lauda-
tum jam emeticum juveni supra citato feliciter exhibue-
rit; unde ille, ex primā dosi quidem multum, sed absque
levamento evomuerit, hinc tertio post die illud idem, mox
ante ingruentis paroxysmi tempus, iteratò ipsi dederit, &
ita  &  materia foetidissimæ, & nigerrima ejec-
rit faburram; quibus duabus emeticis hujus dosibus ad in-
tegrum valetudinis statum reductus sit, ut deinceps ne tan-
tillum de amore illo furioso amplius persenserit.

Rulandus quoque Cent. 3. Curat. empyr. Curat. p. m.
179. refert, se insano ex philtro, à maleficâ in placentis ac-
cepto, propinasse  am suam benedictam, unde æger felici-
ter evomuerit placentas, quæ in terram projectæ, effervue-
re & ebulliere, non secus accibus super igne.

B. Ettmüllerus oper. suor. Tom. 2. in colleg. Pratt. p. m.
979. meminit juvenis, à philtro redditi maniaci, qui, propi-
natis granis quinque  vita, supra & infra multum eva-
cuatus; sed cum exinde nondum ritè restituto data fuisset
altero die theriaca cum 3j. pulveris serpentum, in  the-
riacali, vel card. bened., indeque fecutus esset sudor copio-
sus, æger omnino curatus fuerit.

Hoc verò maximè monendum censemus circa vomi-
toriorum usum, ut sufficien^t, & si circumstantia permittrunt,
paulò largiori, aliàs conservatâ dosi, dentur, atque, si effectus
priùs dati non sufficiens visus, & adhuc molestia, ac dolor
in, & circa ventriculum observetur, repeatantur. Quando
enim materia morbitifica altas egit radices, duriori quoque
cuneo opus est ad excutiendam eam.

Eò etiam magis laudanda, ac commendanda sunt vomitoria, quò magis universalia sunt, & in curatione philtorum magicorum apprimè quoque convenient; cum per incantationem sàpissimè peregrina corpori indita, & hinc per vomitoria iterum rejecta apud Practicos legantur.

(2.) *Purgantia*, utpote vomitoriorum succedanea, sàpe locum habent, si prævalentia contraindicantia vomitoriorum adsint, & morbus etiam in maniam, aut melancholiam versus.

Conveniunt itaque medicamenta non solùm ex *Sennà*, *rhabarbaro*, *michoacanna alba*, *agarico*, *gialapa*, *scammonio*, sed etiam, & in primis ex *helleboro nigro* parata, quippe quà à quamplurimis seculis in deliriis maniacis & melancholicis profuisse observata sunt.

Sic ex consilio excellentiss. *Wedelii*, in maniacis, melancholicis, & similibus commodè propinatur gialapium, ad 3j. cum lapide lazuli præparato, ana. Cujus licet vires purgantes leues sint, unà tamen massam sanguineam purificantes egregias possidet, & hinc ut alterans, absorbens & præcipitans potius, quàm ut purgans additur. Evolvi hanc in rem possunt ejusdem *Amœnit. mater. med. l. 2. sect. 1. c. 4. p. 242.* & de *Facult. med. l. 2. sect. 2.c.4, p. 142.*

Laudatus hicce pulvis purgans, si in robustioribus subjectis non sufficiens videatur, facilè acui potest trochiscis alhandal; vel resinâ *scammonii*, aut *gialpii*.

Conveniunt verò laudata haec tenus purgantia in primis in *bumidâ* ac *liquidâ*, *infusorum* & *decoctorum* formâ, per *Thierry* interdum optimo cum successu adhibenda, additis alterantibus, & roborantibus *cephalicis*, *cordialibus*, *aperientibus*, *antiscorbuticis*, *hepaticis*, atque *spleneticis*; quò siccitas nimia, his casibus ut plurimum præsens, simul

* (39) *

simul corrigi, & cum eductione humorum nocivorum, reliqui simul penitus alterari, & ad frugem reduci queant, præmissis, pro circumstantiarum modulo, huc facientibus, aptis preparantibus, ac digerentibus.

Que denique de vomitoriis dicta sunt, ea scil. suffici-
enti dosi danda, atque pro re nata repetenda quoque esse;
ea etiam de purgantibus, ad completum purgationis actum
edendum datis, intellecta volumus. Sæpe enim in hisce
casibus materia peccans glandulis intestinalibus profun-
dius immersa, atque impacta est, ut hinc ad extricandam e-
am majori stimulo opus habeamus.

Verum enim verò licet per hactenus laudata eva-
cuantia *āw* & *nārū* materia morbifica è primis viis optimo
quidem cum successu sæpè educatur: attamen sæpenu-
merò quoque materia philtorum tām actīva, corruptiva,
atque maligna est, ut, quamvis adhuc pars in primis viis
moretur, quædam tamen subito ad M. Seam transeat, ejus-
que destructionem intendat. Hinc apprimè necessarium
erit, ut turbativum illud Mæ Seæ, quō citius, eò melius ex
eādem excludatur, atque principia vitalia radicalia, san-
gvis nimirum ac serum, ab ulteriori invasione, atque turbati-
one probè defendantur, ac impediatur, ne visceribus no-
bilioribus labem aliquam insignem affricet.

Conducunt huic fini præ omnibus aliis. (1.) *Gene-*
rosa bezoardica, ac *sudorifera*, in primis *volatilia* & *media*, &
hinc *fixiora* quoque, quæ *turbativum* illud, & *inordinationes*
in M. Sea ac spiritibus causans per poros corporis egregiè
dispellunt, atque educunt. Talia verò in primis sunt R.
bezoard. Mich. Ludov., atque effentificata, ut & *volatilis*
Wedelii, M. S. ~ *theriac.* camph. ~ CC. *secundin.* hu-
man. serpent. viperar. Ligv. CC. *succin.* Θ CC. *volat.* The-
riac.

riac. Andr. cœlest. mithridat. Orvietan. Elect. diascord. Fra-
cast. Rob. samb. & diaph. CC. phil. Mag. CC. spin. vipe-
rar. &c. Ut & \triangleright bezoardicæ, atque diaphoreticæ, qua-
les sunt \triangleright card. ben. scorzon. fl. samb. galeg. prophyl.
Sylv.cord. Sax. fr. & alia. Quæ variè inter se, pro indicatio-
num, ac circumstantiarum modulo, misceri possunt.

Minimè verò circa horum propinicationem cunctan-
dum est, sed statim, præmisso vomitu, aut purgante, ge-
nerosum aliquod sudoriferum propinandum. Hinc ab ini-
tio magis volatilia cum mediis mixta dari debent, quò eò
citius totam M. Seam pervadant, & primo quasi impetu
hostem hunc, aliàs pertinacissimum, prosternant.

Nec desistendum statim, si unicum saltim, & cum ali-
quali fructu exhibitum fuerit sudoriferum, sed continuan-
da ac repetenda sunt, hincque sèpè emeticis atque pur-
gantibus interpolanda, ne insidia, quam maximè nocivæ,
occultæ relinquantur, & data occasione prorumpant, ac
novos tumultus citent; sed ut penitus omnis vis noxia ej-
iciatur, atque extra corpus relegetur. Observatum enim
est, quod non raro per aliquot tempus philtorum mate-
ria quasi sileat, & nullas æquè noxas statim edat; tamdiu
nimirum, quam diu, robur naturæ candem superare potest;
nec, ut emergat, ipsi occasio datur. Nam hòc eneruato, vel
aliquà causâ occasionali se offerente, & anguem latentem
excitante, fèvre demum malum acerbè satís incipit.

(2.) *Diuretica* quoque si indicantur, commodè in usum
vocari simul poterunt, quatenus mucum, glandulas ac vasa
nimis oblinientem, ac secretionem humorum debitam im-
pedientem, partium suarum tenuitate abstergunt, sive
vias, & poros expediunt, ac eosdem liberos præstant, una-
que humores liquant quasi, ac fluxiles reddunt, iisdemve

simu-

stimulum addunt, unde deinceps a majori quantitate
secesserit; mediante quā etiam non parum materiae mor-
bificae stimul extra corpus rapitur.

In primis vero locum habent, si medicus prudens vi-
deat naturam materialm morbificam per urinam exturbare
velle; Tunc enim, suadente magno nostro Hippocrate, seet.
1. Aph. 21. Quae ducenda sunt, eò ducenda, quō maximē natura
viam affectat, per localē nature commoda. Adeoque com-
modum tunc erit eandem per convenientia diuretica ad-
juvare, è quibus jam, ex quamplurimis solum laudabimus
— Θυρ. volat. Clyst. &c. & reum. arcan. Φri. simpl. &
ole, — Θυρ. sol. & em., R. item Φri, ac θυρ. Ess. sabinae.
Ult raceamus radices aperienets, ac diureticas, folia, flo-
res, semina, ac ex regno vegetabili, animali, ac minerali
præparata alia quamplurima, quae è suis fontibus, mate-
riæ medicæ nimirum, huc revocanda erunt. Dari hinc
hæc possunt in primis in Ris, essentiis, atque mixturiis, quæ
partim per se assumi, partim vero potui instillari queunt; in
decoctis item, potionibus, emulsionibus atque pulveribus.

Congruum quoque erit dicta hæcce maritare stimul-
cum cephalicis, ac specificè in mania, aut melancholiâ
proficientibus, v. gr. R. hyperic. anagall. — lil. convall. la-
vend. rosmar. ac aliis.

Sic legitur apud Henr. ab Heer obs. 13. quod cuiusdam
quam maximē nocivo philtro correpti curatio per diureti-
cum quoddam, ab Ardelione quoddam Paracelsico exhibi-
tum, urinis hinc copiosius motis, accelerata visa fuerit.
Quod remedium Ardelio dixit vocari ludum Paracelsi.
Ipse vero Heerius addit, se post experientiâ didicisse, cal-
culum microcosmo ex sectum, non in ludum, sive liquorem

versum, ut ille propinavit, sed tantam in pulvarem comminutum, & eum vel succo nasturtii tici propinatum, philtro potatis, vel erotico amore furentibus multum profuisse.

Sed H. Debita temperies & motus humoribus & spiritibus restituenda; natura reboranda, & indicationibus specialibus, pro diversitate piltrorum ac materia, & inde enatorum morborum, variaribus è suis sonibus contra cundum.

Sic (1) indirecte & remotius paulò huc spectant sub priore lemmate laudata universalia, vomitoria, purgantia, sudorifera atque diruetica, quatenus causam morbificam turbantem tollendo, ac educendo, debitum motum & temperiem humoribus ac spiritibus iterum foenerantur. Sublatâ enim causâ morbifica necessariò tollitur effectus morbosus, & redit sanitas naturalis.

*et (2) Directe & adquædatè huc possumunt faciunt allegata, ac laudata quoque alexipharmacæ, ac bezoardica, & in primis media ac fixiora, atque cum his partim eadem, partim simillima præcipitaria, absorbentia, balsamica, roborantia, cephalica, cordialia, atque nervina, quæ omnino debitam temperiem, motumve humorum ac spirituum restituunt, dum scintillulas materiae morbificæ, ab evacuantibus forsan relictas, penitus extingvunt, & adhuc turbulentum humorum ac spirituum fluxum placide compoñunt; iisdemque novum robur quasi afflant, quatenus particulis suis Aeo-Öinis, partim volatilibus & activis magis, partim temperatis, sulphure sanguinis ac sero balsamicum, infirmatum hastenus, vigori suo pristino iterum restituent. *Mobili major sub solida rumbans horum Sunt vero talia, præferi jam dicta, pulvres bezoardici variorum, ut Sennetti atque Wedelli maj. & min. pan-**

non

* (43) *

non. rub. epilept. march. speif. ceph. Mich. bez. miner. & le,
Dre, Ore, & Ale cach. Ludov. pulv. caclect. sinus, qui faci-
lē gemmatus reddi potest, ſnat. ppt. corall. rubr. lap. s.
pretios. lap. lazuli ppt. perlæ, & Glat. Iris, spec. latif. Rh.
atque Galen. dianth. diamosch. diambr. diaxyloal. diamarg.
frig. marum verum, R. & t. cydon. & volat. corall. Eſſ. roſ-
mar. ambr. succin. castor. R. & tis helleborata, & lili. convall.
Dof. liqv. ceph. & Oli ceph. ac Œia volat. Œſa varia. Conf.
alkerm. compl. & incompl. ut & extracta cephalica robo-
rantia, qualia, v. gr. ſunt; xyloal. castor. hyperic. anagall.
ac opii ipsius, pro circumſtantiarum ac indicationum mo-
duo rite adhibenda.

Longè plura equidem medicamenta horum classi
adhuc accensenda eſſent, nempe simplicia cephalica, at-
que cordialia, & ex his, præter jam dicta, quā plurima præ-
parata, atque composita. Aſt cum ea in laudatissimis ſu-
Pra paulo citatis scriptis Wedelianis, ut & alii eruditissimè
ac ſufficienter recenterantur, non opus erit, ut corundem
recenſioni diutius immoremur. Prudens interim medicus,
qui ſtatū morbi, ſubiecti, ac aliarum circumſtantiarum
probè cognitū habet, ſimul judicioſe diſcernere poterit
inter laudata remedia. Hæc duo enim, qui rite callebit,
facillimo negotio indicationes ſpeciales apicē crueret, hisque
proportionatim respondentia indicata, ſeu remedia præ-
ſcribere ſciet. Cum enim mirum quantum affectus, ac
ſymptomata, quæ philtris ortum ſuum debent, varient, id
eo consultò abſinuimus à formularum compositione, quia
generalem ſaltim philtra curandi modum tradimus. Fa-
cile vero erit jam dictam, & adhuc amplius dicendam me-
thodum ad obversantia individua applicare, ac pro cir-
cumſtantiarum varietate compонere ex laudatis, pulveres,

mixturas, potiones, Decocta, Infusa, Emulgiones, pilulas,
Balsama, Epithemata ac alia.

Brevibus saltim hoc loco laudabimus quædam *simplia*, & *composita* hinc inde à celeberrimis medicis in morbis à philtoris commendata, ac profusse observata, adeoque per experientiam comprobata.

Sic laudant in primis *nasturtium* \triangleright *ticum*, ejusque \triangleright , succum, & Θ volat., si philtrum etiam ad maniam inclinet, eamque caufetur. De cuius planta mirifico, & casu invento usū vidi Schenck. l. 7. Obs. 1. Penes quem etiam sit ibidem allegata historia fides. Hartmannus, Michaelis, Clauderus, Ettmullerus ac plures alii commendant insigniter, post præmissa universalia, *pulverem secundine humane non ultra annum affervatum*, cum facile corrumpatur, à 3*lb.* ad 3*j.* & amplius, cum ther. Androm. vel extratheriac. item in \triangleright diaphoretica, vel theriacali, cum uno altero cochleari succi, vel \triangleright *nasturtii* \triangleright *tici*, ut & ejus \sim \sim \square osum volat mixtum cum \sim \sim *theriac. camph. Rbez. corall. & aliis.* Laudant medicamenta hæc ex secundinâ parata speciatim eo in casu, si philtrum ex sanguine mensruo paratum fuerit, sicut & eidem fini Borellus Cent. 1. obs. 65. ut & alii Practici *margaritas* ppas magno cum fructu adhiberi scribunt.

Carolus Musitanus in *Trutin. Medico-Chim. l. 1. c. 14.* commendat ut à se expertum remedium tali casu sequentem haustum, ϱ . succ. *nasturt. \triangleright tici* 3*lb.* troch. de myrrh. 3*j.* M. Quem tamdiu propinare juberet, quamdiu omnis philtri materia exhausta fuerit.

Ad curationem tandem penitus absolvendam commendant hinc inde quædam *Electuaria* egregia, roborantia ac innovativa, ex selectissimis cephalicis, atque cordialibus

* (45) *

libus, ac specificè in talibus casibus profuisse visis composita, quæ præmissis universalibus, magnò cum fructu adhibenda. Sic celebre est Electuarium Hartmanni, quod describitur in suâ Praxi Chimiatrica, quod sufficiens in curando philtro invenit D. Michaelis in studio & aliis; referentibus id B. D. Claudio atque Ettmullero. Nec paucarum virium quoque esse videtur illud Gokelli, quod consignatum exhibet loco suprà citato.

Maximæ verò efficacia censemus illud, quod sàpè laudatus Wedelius in Dissertatione Medico-Consultatoriâ de mania, ex philtro simul ortâ putatâ, sequentem in modum parandum docet. Rx. cons. hyper. meliss. anagall. a. ȝj. lap. magn. & ppt. lud. human. ppt. a. ȝj. mag. cran. human. perlar. ppt. a. ȝj. R. Corall. ȝb. conf. alkerm. ȝij. M. c. sir. hyper. Fl. a. Elect. S. Hauptlatwerg.

Inter externa laudatur à quamplurimis emplastrum ab Hartmanno descriptum, & commendatum in Praxi Chimiatr. p. m. 55. ventriculo applicatum. Sicut & apud Ettmullerum l. c. cum fructu umbilico appositum legitur dimidium panis, recenter ex furno extracti, parum excavati, & impleti theriacâ, & pulvere card. bened. Interne verò semper circa duorum horum remediiorum adhibitionem generosum sudoriferum propinari debet, quod eorundem virtus magis inde adjuvetur.

Si verò medicus cognoscat, & deprehendat, quod amor ejusmodi incongruus, vel etiam alii morbi inducti sunt per *mediam magica*, & *incantamenta*, optimè agit, si præmissis universalibus, alterantibus, & roborantibus admisceat præaliis *contra fascina* pròdèsse observata, & hinc inde ab autoribus commendata, qualia v. g. sunt *hypéricum*, *polytrichum*, seu *adiantum*, *sideritis*, *sabina*, *abrotanum*, *artemisia*,

viscus corylinus, baccæ herbæ paridis, myrrha, thus, asa fœtida, corallia, ſius vivus, pennæ, vel cortici avellanæ inclusus, ac collo appensus; camphora item, ac alia, quæ partim in infusis & decoctis cum aliis, partim in effentiis atque Rø, partim in pulvere, partim ut suffumigia, partim ut amuletæ adhiberi, & in usum vocari queunt. Memorabile insuper est, quod Franc. Hildesheimius p[ro]f[essor]icileg. 29. m. 149. notat, ita scribens: *stercus amasia, illa nesciente sub cervical positum, cum amator odoris foeditatem sentit, amorem solvit.*

Addenda tandem esset singulorum morborum ac symptomatum è philtris ortorum curatio. Verum enim verò, quia inde resultantes morbi quamplurimi sunt, & admodum variant, nobis memo vitio vertet, quod eorundem speciam curationem non prosequamur. Hoc enim si præstare vellemus, dissertatio ultra pagillas dissertationi destinatas ex crescere. Medicus hinc clinicus hisce è suis fontibus contraire sciet debite, distinguendo simul prudenter symptomata urgentia à minus talibus.

Quemadmodum enim illis tempestiva curatio adhibenda; ita hæc minus movere debent medicum, ut à via regia, seu methodo medendi generali curandi philtra, deflectat.

Cum verò inter morbos eos, qui à philtris proveniunt, frequentissimi sint mentis morbi, nempe mania, & huic fæpe succedanea melancholia, adeò paucula saltim circa eorundem curationem monebimus.

Sicut verò recensita hactenus philtrorum curatio cum horum morborum curatione maximam partem coincidit; ita laudatis jam prædictis facillimè adhuc alia à Practicis contra affectus hos commendata addenda erunt, qualia, e.g. sunt, Eſt. croci, anagall. fumar. R. hyper. Mysl. Conf. alkerm.

herm. sanguis asinus, ut & **D**osa. Decoctv. item comp. ana-
gall. ex lichen. fibr. helleb. nigr. veri, meliss. beton. & aliis,
ut & alia Infusa & Decocata roborantia cephalica.

Exterius convenienti roborandi, demulcendi, tempe-
randi & somnum conciliandi sine *balnea* ac *pediluvia* ex ▽
dulci, cūni plantis & floribus abstergentibus, roborantibus,
refrigerantibus, ac cephalicis, additis capitibus papaveris, &
oculis populi; item *Epithemata* ad frontem & testes, ex ▽ is
aneth. serpill. anagall. solan. hyper. semperviv. rosar. nymph.
Philoto, philon. Rom. Croc. camph. item feni. pap. alb. 4.
frig. maj. & nucl. persic.

Ut verò & communiissimi è fonte chirurgico præsidii,
sanguinis missionis nimirum, mentionem faciamus, cele-
brandam eam statuimus post præmissa emetica, purgantia, ac
sudorifera, si materia philtri jamdum in M. Seam transit, &
vires id permittant, ubi, siibidem contineatur, bona quo-
que quantitas ejusdem per venæ sectionem simul educitur,
hincque irregulares, spumantis quasi, ac servidioris MSeæ
fluctus faciliter componuntur. Minime autem suademos
sanguinis missionem in manu ab filtro orta, usque ad deli-
quum animi protrahere, cum vires à philtri corruptela jam
dum debilitatæ sint. Melius hinc erit eandem medio-
crem instituere, & si commodum visum fuerit, tempore ali-
quo interjecto, repetere.

In melanbolia autem sanguinis missionem locum ha-
bere secundum B. Ettmulleri consilium statuimus, si ægro-
tantes plethorici sint, ac non adeò torpidi, vel, quando con-
juncta est suppressio evacuationis debitæ sanguinis, vel ni-
miae phlogosæ, aut astuationes subinde observentur, vel
caput circa frontem intensius incalescat, metu majoris pe-
niciuli, aut, ne in maniam degeneret. Non prorsus tamen
nobis

nobis rejicenda videtur eo casu, si torpor quidam adest, cum
se penumero Venæ Sectio naturam egregie excite, atque
sanguinem in motum citet, ac ventilet. Institui hinc po-
test in vasis minoribus saltim, v.gr. sub lingua. Observando
semper ne quid nimis. Sicur & in genere circa sanguinis
missionem hoc loco monendum, quod in melancholiâ parci-
ores respectivè, in mania verò paulo largiores esse queamus.

Quod arteriotomiam, cucurbitulas, fonticulos, seta-
ceum, vesicatoria, hirudines, & apertioem manuum di-
gitorum Paracelsicam, hinc inde à Practicis in ejusmodi
morbis magnopè commendata, & cum fructu sepe
adhibita concernit, dijudicandum erit medico ex subjecti æ-
grotantis, ac morbi statu, & gradu, an, & quæ conveniant,
& applicari possint, quæque minus, ne noceat, sed prosit.

III. Regimen conveniens circa diatam est observan-
dum, re, quod diligenter medicamentorum adhibitione restitu-
ere, & corriger medicus allaborat, per illegitimum sex rerum
non-naturalium usum iterum destruatur.

Brevibus hinc rectum & convenientem harum rerum
usum tecensemus. Sicut verò per haec tenus dicta utplu-
rimum mania, aut melancholia effectus sunt philtorum
noxiiorum; ita etiam in diatâ recensendâ ad hos duos
morbos primariò attendemus, quæ facile hinc varianda
paulò erit, pro aliorum morborum, ac circumstantiarum
præsentia.

Aer itaque sit temperatus, lucidus, atque serenus, nec
vaporibus caput potentibus repletus, in mania tamen ma-
gis ad frigidum & humidum inclinet, sique talis non sit,
per artem corrigendus, v. gr. per inspersioem $\Delta\alpha$ frigida,
conspersionem conclavis, foliis salicis, vitis, hyperici, flor.
nympha, rosar, lil. convall. ac tunicae. Temperati enim
tales

* (49) *

tales ac suaves odores minus nocent, sed potius juvant, dum spiritus egregie placant, ac roboran, & ad placidum somnium blandè disponunt.

Cibus sit εὐχειροποιητός. In mania sit magis humectans & refrigerans, in melancholia vero humectans quoq; simul tamen respectivè etiam moderate calefaciens. Vitentur in utrisque flatulenta omnia, ut leguminosa, ac alia, sale item macerata, & fumo indurata, ut & nimis dulcia, qualia sunt mellita & saccharata. Potus sufficientè quantitate detur, sitque cerevisia respectivè magis tenuis, non valde lupulata, ac vaporosa, sed nitroso potius, qualis est inter alias Numburgensis. Potui instillari quoque commodè potest R. violar. hyperosar. atque anagallid. *Vinum* defecatum, nec adeò generosum concedi potest melancholicis, non excessivè quantitate sumptum; maniacis contra denegandum. Si vero id impetuosis affectent, & assueti fuerint antea, concedendum quidem, sed admodum dilutum \vartriangle rosar. borrag. ac bugloss. & succo citri alteratum. Possunt etiam decocta & potionis medicæ, morbo convenientes parari, uti est, v. gr. decoctum anagallidis. In maniacis quoque potus \vartriangle . simpl. concedi potest, si assueti sint.

Motus & quiescere sint moderata, ne per incongruum horum usum vel spiritus nimis absumentur, & agitentur, sive corpus debilitetur, vel etiam cruditates gignantur, cum mulcentur, & spiritus obtorpeuant.

Somno si ullibi, certè hic maximè studendum, cum placet egregie spiritus, & humores impetus, atque turbulentos, ac ideas maniacas & melancholicas non parum debeat. Concedendus igitur sufficiens, & si non sua sponte succedat, omni modo procurandus per soporifera,

G

tam

tam externa, quam interna, in primis humectantia. Vigilie hinc non multum protractæ, sed moderatae esse debent.

Circa excreta & retenta monendum, quod fecum, atque urinæ excretio naturali statui respondere debeat, siue natura ab opere hoc yacet, sollicitanda per convenientia medicamenta, & alimenta. Fluxus quoque mensium, atque haemorrhoidum attendendus, ne supprimatur, vel si purgationes haec in assuetis cessavere, cum curâ iterum restituenda sunt. Probè insimul observandum, quod, si natura excretionem criticam, vel per largiore mensium, aut haemorrhoidum fluxum, vel haemorrhagiam narium, diarrhoeam, & multam urinæ profusionem instituat, ea non intempestivè sedetur, sed à symptomate probè distinguatur. Veneris usum quod concernit, convenit hic in utriusque sexus personis, mania, aut melancholiâ erotica laborantibus, nisi vires prostratae, & vita genus id impeditat, in primis, si per longum temporis spatium ab eodem abstinuere, & stimulis Venereis agirentur. Convenit etiam Veneris usus amore insano, ob philtrum etiam morale solium, & naturale connatum affectis. Notum enim est per experientiam, quod sâpe, medicis nihil proficientibus, conjunctio, & perfructio legitima earum personarum, in quas exarserant, optimum fuerit remedium, ut id exemplo Antiochi, Regis Seleuci filii, licet non imitabili patet. Hinc honestum potius, si nihil obster, suadendum conjugium.

Inter animi pathemata studiosè vitandi sunt omnes graviores affectus, qui mentem turbare possunt, ut sunt ira, tristitia, timor, ac amor nimius; allaborandum vero est omni modo, ut mens ad tranquillitatem & temperatum gaudium disper-

disponatur; quem in finem suavia amicorum colloquia, ac
conversations cum iisdem, obambulationes item in locis a-
mœnis, concentus musici, & alia multum faciunt. Si vero hæc-
ce sine fructu adhibentur, lenibus increpationibus, hinc acri-
bus objurgationibus, minacibus verbis, & his non proficien-
tibus, pro circumstantiarum modulo, verberibus, vinculis,
ac carceribus, locus est.

Optimum quoque, ab amore se præservandi, eum.
que curandi est remedium, ex consilio Frat. Hildesheimii,
fuga, ut quis vitet fœminarum consortia. Nam ut ille ait:
en re iegav, nigerat, et iegav. Negotia item, curæ atque labo-
res: Unde Poëta:

Cedit amor rebus, res age, tutu serist.

Et hæc in præsenti sufficiant de philtris, illorumque
nocivorum effectuum curatione dixisse.

F I N I S.

Nobilissimo Dn Doctorando
S. P. D.
GEORGIVS WOLFGANGVS
WEDELIUS.

Est & philtrorum notumen inter reū pœtu numerandum, quæ & in bonam & malam partem accipi possunt & solent; eadem vero sunt & physica, secundum & præter naturam, & moralia.
Liceat mihi, dum eadē in cathedram producis, ex meri-
to

(o)

to reportatus phlitra, gratiam puta & amorem, paucis
phlitra medicorum delibare.

Habent illi id peculiare, vt *Xanthus*, vel *Xanthus*
quoque audiant, &, vt ita dicantur, omni studio anniti de-
bent. Id vero non adeo difficile est impertratu, si vulga-
tam sequaris parceriam: vt ameris, amabilis esto.

Amabilis est medicus, qui arcana naturæ exhaustis, hu-
mani corporis naturam viderit, morborum causas, insul-
tum & remedia nouerit. At, at, non illud satis est, vel
sufficit, plura huc pertinent, inter quæ duo fuerint sine
dubio præcipua & summa, gratia diuina & humana.

Gratiam meretur medicus, Deum reuerens, a Deo
donum sanandi adeptus, & precibus id impetrans, & *Phar-
œusia* demonstrans. In his duobus omne momen um-
elt positum, & *Xanthus* omnes medicæ in hac sphæra ro-
tantur, eademque absoluuntur.

Addi potest & tertium, plura enim substantia alia, re-
ste agendo. Hoc & scutum est medicum, plusquam Her-
culeum, & omnium bonorum amorem inuitans, hoc ad
retundendas calumnias maleuolorum genuiaum Palladi-
um. Finio his, Tibi de honoribus meritissimis gratu-
lans ex animo, & philtrum reciprocum Tibi appreco, vs
sis medicus vere gratiosus, Dei O. M. amore dignus, &
hominum vtriusque fortunæ. Vale, Dab. e museo
Iena, M.DCC IV. D. VII. Octobr.



Jena, Diss., 1704

ULB Halle
004 582 462

3



f

56.

VD 18

inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Dark Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

DISSESSATIO
PHII
 RECTORERE
 SERENISSIMO
 DOMINARE
GVILE
 DVCE SAXONIÆ, II
 ANGARIAE
 Ex Decreto Illustris Et
 in Florentia
 RUDOLFFER
 CRISTOFORUS
 HEREDIS
 PHIL. ET MED. DOCTOR
 FACVLATATIS MEDIC
 Patrono, Præc
 PRO
 Summos in ARTE MEDICA
 RALIA, MOR
 Publico Ph
SIMON PAVLVS
 IN AV
 Horis ante
 A. D. O
 IENÆ, Typ